



PIETRO BEMBO NATO A VENEZIA 1470. LAUREA A PADOVA DOVE E' SEPOLTO (1547) NELLA CHIESA DI SANT'ANTONIO. CREATO CARDINALE DA PAPA PAOLO III FARNESE NEL 1539.

PETRI BEMBI DE AETNA AD
ANGELVM CHABRIELEM
LIBER.

Factum a nobis pueris est, et quidem se-
dulo Angele; quod meminisse te certo
scio; ut fructus studiorum nostrorum,
quos ferebat illa aetas nō tam maturos, q̄
uberes, semper tibi aliquos promeremus:
nam siue dolebas aliquid, siue gaudebas;
quae duo sunt tenerorum animorum ma-
xime propriae affectiones; continuo ha-
bebas aliquid a me, quod legeres, uel gra-
tulationis, uel consolationis; imbecillum
tu quidem illud, et tenue; sicuti nascentia
omnia, et incipientia; sed tamen quod ef-
set satis amplum futurum argumentum
amoris summi erga te mei. Verum po-
stea, q̄ annis crescentibus et studia, et iudi-
cium increuere; nōsq; totos tradidimus
graecis magistris erudiendos; remissiores
paulatim facti sumus ad scribendum, ac
iam etiam minus quotidie audentiores.

A



DE AETNA. LIBRO DEDICATO ALL'AMICO ANGELO CABRIELE. N.B.: LA S (NON FINALE) VENIVA SCRITTA COME UNA F MINUSCOLA; U e V HANNO LA STESSA FORMA DI U. - ABBREVIAZIONI CON ~

Itaq; quas pueri miserimus ad te lucubrationes nostras, numerare aliquas possumus; quas adolescentes, non possumus: quo in consilio nobis diutius permanendum esse non puto: nam ut interdum nō loqui moderati hominis est; sic semper silere cum eo, quem diligas, perignavi: neq; Hercule; si in officio permansimus in prima aetate; debemus nunc, tanq̄ inexercitati histriones, in secundo, aut tertio actu corruisse. praesertim cum aemulatio tuorum studiorum Angēle nos non excitare modo languentes possit, sed etiam incendere; quippe, qui multa, et praeclara habuimus a te semper, habemusq; quotidie et consuetudinis nostrae testimonia, et doctrinae tuae. Quare sicuti pueri scriptiunculas nostras, quasi latentis ingenii acerbitatem, detulimus ad te; sic nunc deinceps etiam ad te adolescentiae nostrae primos foetus deferemus; non quo me ipse plus ames: nam iam id

fieri posse uix puto: sed plane quia ita debemus inter nos: neq; enim arbitror carior rem fuisse ulli quenquam; q̄ tu sis mihi. Sed de his et diximus alias satis multa; et saepe dicemus: nūc autem; quoniam iam quotidie ferè accidit postea, q̄ e Sicilia ego, et tu reuersi sumus; ut de Aetnae incendiis interrogaremus ab iis, quibus notum est illa nos satis diligenter perspexisse; ut ea tandem molestia careremus; placuit mihi cum sermonem conscribere; quem cum Bernardo parente habui paucis post diebus, q̄ redissemus; ad quem reiicendi essent ii, qui nos deinceps quippiam de Aetna postularent. Itaq; confeci librū; quo uterq; nostrum cōmuniter uteretur: nā cum essemus in Noniano; et pater se (ut solebat) ante atrium in ripam Pluuici contulisset; accessi ad eū progresso iam in meridianas horas die: ubi ea, quae locuti sum⁹ inter nos, ferè ista sūt. Tibi uero nūc orationē utriusq; nostrū, tanq̄ habeatur,

explicabo; non tanq̄ recenseatur. Igitur; cum illum multa in umbra sedentem comperissem; ita initium interpellandi eum feci. **PETRVS BEMBVVS FILIVS.** Diu quidem p̄ter hic sedes: & certe ripa haec uirens; quam populi tuae istae densissimae inumbrant; & fluuius alit; aliquid quanto frigidior est fortasse, q̄ sit satis.

BERNARDVS BEMBVVS PATER. Ego uero fili nusp̄ iam esse libentius soleo; q̄ in hac cum ripae, tum arborum, tum etiam fluminis amoenitate: neq; est, quod uereare, ne quid nobis frigus hoc noceat, praesertim in tanto aestatis ardore: Sed fecisti tu quidem p̄ bene; qui me ab iis cogitationibus reuocasti; quas & libentissime semper abiicio, cum in Nonianum uenitur; et nūc quidem nobis nescio quo pacto furtim irrepserant non modo non uocantibus, sed etiam inuitis.

BEMBVVS FILIVS. Derep. sci licet cogitabas aliquid, aut certe de trium

uiratu tuo: saepe enim ex te audiui (si fieri possit) uelle te, in agris cum esses; quoniam tibi id cum modice contingeret, tum etiam perraro; de iis, quae in urbe agantur, tanq̄ lethaeo aliquo sumpto poculo, nihil omnino recordari.

BEMBVVS PATER Est ita, ut dicis: nam cum ab urbe propterea me, frequentiaq; hominum; tanq̄ a fluctibus, in hunc solitudinis portum recipiam; ut relaxem a curis, remittamq; paulisper animū; meq; ipsum restituā mihi, atq; ad reliquos confirmem labores; ut in ludis athletae solent; qui cum aliquo in cursu defudarint, confidunt parumper, reuocantq; sese, ut sint ad reliqua postea certamina ualentiores; si tamen illae ipsae me rus etiam prosequuntur, quas fugio curas, et sollicitudines; profecto nihil ago: quod mihi quidem nunc ipsum euenit: qui cum solus in hac ripa confederim, ut dignum aliquid isto

silentio meditarer ; ecce nos ita etiam unda illa ipsa reforbuit urbanorum negotiorum ; paulatimq; in triumuiratus mei curas delapsus sum. B. F. Ita sane coniectabar : uisus enim mihi iamdudum nescio quid multa cogitatione commentari ; neq; eo uultu, quo esse hic soles, hilari, et soluto ; sed, quo te in urbe conspiciamus, contractiore interdum, ac graui. B. P. Recte coniectabare : Sed ista tandem, quoniam nimis iam molesta sunt, obliuiscamur.

B. F. Utinam ipse id possis pater ; tibiq; istud (quando ita te iuuat) tam facile factu esset, q̄ mihi : sed omnes curae, quae quidē sint maximae, ita se habent ; ut, si insequaris, non fugiant ; si fugias, etiam insequantur : munus autem istud tuū cum est ipsum negotiosissimū per sese ; quippe, a quo ferē omnes reip. nostrae partes pertractantur ; quodq; uniuersae ciuitatis, caeterarūq; urbium,

nostrarum aduocationem agit, et sustinet ; tum uero illud etiam accedit ; q̄ tu is es, qui maxime omnium tranquillitatem animi, requietēq; deames ; quo fit, ut magis etiam illa sentias, quae te premunt. B. P. Est fili, est sane causa illa quidem non leuis, quae mihi labores adauget meos : sed tamen (ut uerum fatear) aliud quiddam maius me mouet ; quod ipsum nuper me in urbem reuocauerat, sic dum sederem ; reuocatq; saepissime. B. F. Quid illud tandem est ? B. P. q̄ reip. causa non commoueri neq; uellem, si possem ; neq; possem, si uelim : nam cum ab ineunte aetate ita uitam instituerim meā ; ut patriae adessem semper ; prodessem, cum possem ; potuerim autē nonnunq̄ uel iuueniset domi, et foris ; illa uero me saepe muneribus reliquis, saepe legationibus honestarit ; eam ipse si deseram nunc, cum et experientia, et cōsilio, et auctoritate

plus ualeo; quid sit aliud, q̄ si tu me iuue-
nis senem desituas, filius patrem?

B. F. Duas igitur causas praedicas
pater curarum tuarum; duras tu quidem
illas, et graues; uerum, quia te sciente a
te ipso proueniunt, perferendas: nam
qui te idem et actionibus tradidisti, qui
bus otio inimicius esse quid potest: et rus
amas, secessusq; istos tuos; quae quidem,
cum multo diutius ipsis careas, q̄ fruaris,
uitam sibi illam efficiunt molestiorem;
dolendum tibi non puto; si te uel illis ip-
sis rebus condemnes, quas fugis; uel fugi-
as omnino, quae te iuuant. Sed illud
tamen quale est, quod te dixeris reip. cau-
sa commoueri: an te fortasse mi pater mo-
tus in Galliarum perturbant, qui ferun-
tur? B. P. Minime illi quidem: uerum admodum gau-
deō te e Sicilia rediisse: nam si aliquid eue-
nerit; malo te hic esse, ubi omnes sumus;
q̄ illic, ubi neminem habes tuorum.

B. F. Equidem adsum ac libens
cum ea de causa, tum quia uobis omni-
bus carebamus iam nimium diu: caueta-
men putes nobis hoc Siciliensi biennio
quicquam in uita fuisse iocundius.

B. P. Gaudeo et id quidem: idq; ip-
sum ex eo suspicabamur, q̄ nondum ad
nos cogitabatis. Sed postea, q̄ in eum fer-
monem incidimus, ut de Sicilia loquere-
mur; narra mihi quemadmodum ea se
habent, quae de Aetnaeis ignibus et fe-
runtur passim, et perleguntur: te enim
accessisse illuc cum Angelo tuo, totumq;
montem perlustrasse audiebamus: et no-
bis quidem certe nunc uacat: quid enim
istoc aestu agamus meridiani? neq; est,
quod ego soleam libentius, q̄ de naturae
miraculis audire. B. F.

Haec uero, ut libet; modo ualeam recen-
sere: et quidem eiusmodi sunt; ut tibi audi-
enti afferre uel magnam possint; mihi cer-
te narranti semper aliquam afferant uo-

luptatem: quanq̄ quidem iam hoc ipsum
facimus nimis saepe : q̄ enim multis
nos eadem ipsa censes postea, q̄ e Sicilia
reuerſi ſumus, narrauiſſe? Sed conſurge
(ſi placet) ab hac umbra: nam in ripis qui
dem omnis quae fit accubatio, ea ſi lon-
gior eſt, eſſe admodum grauior ſolet: atq;
ad illa buxeta noſtra (ſi tibi uidetur), ſe-
dēſq; pergamus. B. P. Perini-
quum tu quidem facis; qui de ignibus lo-
quuturus ab umbra, et frigore deceden-
dum putas: ſed (quando ita uiſ) propter
aquam potius in ripa deambulemus; et
cum fluuio ſermoni reliquo demus ope-
ram loquentes: ita mihi uidebor melius
tuas illas flammās Aetnaeas (ſi me offen-
derint) Pluuii mei unda temperaturus
B. F. Illae uero neq; te offen-
dent, cum abſint longiſſime; neq; hic ſi
adeſſent, reſtinguere illas poſſet Pluui-
cus tuus; cum mare ipſum etiam cedat
illis uolentibus, atq; earum ardoribus

contrahatur. B. P. Magnum
exordium inceptas fili; ac iam planè uix
credenda ſunt iſta, quae dicis: uerum,
qui ita fiat, explana id etiam mihi.
B. F. Faciam, ut iubes: ſed opus
eſt ante, q̄ illò ueniam; ut aliqua te prae-
doceam deq; inſulae, deq; montis natu-
ra; quibus cognitis ad ea, quae poſtu-
las, recta pergemus uia. B. P.
Age, ut libet; modo ad illa etiam ali-
quando ueniamus: quin etiam mihi fe-
ceris gratiſſimum; ſi ea lege inceperis,
ut ne quod pulchrum praetereatur; ſiue
uidiſti aliquid, ſiue audiuiſti, ſiue quid
eſ ipſe commentatus. B. F. Ego
uero (ſi placet) iter tibi noſtrum omne
ordine ipſo, quo factum eſt, recenſebo;
tēq; a Meſſanae menibus uſq; in Aetnae
cacumen perducam. B. P.
Placet, et cupio: incipe igitur; uiamq; ip-
ſam omnem reminiscere, et tanq̄ recur-
re, ſi potes. B. F. Agam ſe

dulo id quidem: itaq; (ne te teneam diu-
tius) Quartusdecimus mensis agebatur;
ex quo ego, et Angelus meus apud Con-
stantinum praeceptorem graecarum lit-
terarum studiis exercebamur: neq; sane
adhuc uacuum ullum tempus dederam-
us nobis laboris; ac ne unum interea in-
tegrum remiseramus diem. B. P.
Nimium fuistis assidui uestris in studiis
adolescentes, uel etiam superstitiosi: an-
num, et menses nouae linguae rudi-
mentis incubuisse nullo intermisso die
mirum; si uos uel habitudo illa prior
destituit, uel color: nos tamen e nauig-
atione traxisse uos pallorem istum, et
maciem putabamus. B. P. F.
Ita euenit: sed en tibi: iam tandem nos
ipso respeximus: placuit enim ut Ae-
tnam uisiteremus; atq; interea, dum ani-
mi relaxarentur, quod efficere uel oc-
cupatissimi debeamus, tantum natu-
rae miraculum etiam feriatu nosceremus;

ita iocundis aliquot sumptis comitibus,
qui nos perductarent, confesso equo Mes-
sianam reliquimus: sed iter facientibus no-
bis Taurominium usque memorabile
nihil comspectum est: summa enim litto-
ra eraduntur. A leua statim Rhegium, et
Bruttii agri paruo primum, mox latiori
maris interuallo aperientibus se se paula-
tim angustiis prospectantur: a dextra col-
les continui imminent, Bacchi tota fera-
cissima plaga, et Mamertinis uinetis mi-
nus fortasse, q̄ olim fuit, tanq̄ ab ipsa
uetustate contritis iam laudibus; sed ta-
men satis nunc etiam percelebris. In me-
dio ferè itineris, uel paulo amplius castel-
lum Nisus ex aëria montis rupe uiatori-
bus late prospicitur; unde illud deue-
ctum. Ouidianum,
Nisiades matres, sicelidésq; nurus:
Incolae uallem etiam omnem, quae sub-
est, Nisi regionem uocant. B. P. Erit
isto sane modo etiam aliquid infra Tau

rominium memorabile: nam de hoc poe-
tae uersu (si recte memini) nobis pueris
nondum inter grammaticos conuenie-
bat : qua quidem in re adhuc illi arbi-
trum si quaerunt; plane uideo eam cōtro-
uersiam posse dirimi a Niso tuo; a quo ne
scio q̄ blande caeteri hospites suscipian-
tur; te certe (ut illi dicerent) etiam elegan-
tiores remisit: Sed sequere. B. F.
Tauromini cum ueterum monumento-
rum reliquiae plures uisuntur, templa;
sepulchra, aquaeductus: quin saepe teme-
re graeca numismata passim effodiuntur
affabre facta illa quidem, neq; in aes mo-
do insculpta; sed in argentum, sed in au-
rum; quod etiam Syracusis plurimum,
et ferè per totam insulam euenit: tum eti-
am coctile theatrum adhuc manet paulo,
q̄ id, quod Romae uidimus, minus; nisi
q̄ illud amphitheatrum est: quae qui-
dem omnia cò inspexi diligentius; q̄
te recordabar plurimum semper uete-

rum hominum imaginibus, monumen-
tisque, tanq̄ uirtutum illorum, et gesta-
rum rerum testibus, oblectari. Urbs
ipsa loco praecelso, atq; edito sita, et mō-
tium angulo promissa in pelagus pro-
spectum maris Ionii late hinc inde do-
minatur: theatrum ultimam anguli ru-
pem insedit, qua collis conspicuus ante
omnem urbem in circum planitiem du-
cens audentior procurrit in mare; atq;
hinc fluctibus, inde urbe medius ipse ter-
minatur. E Taurominitano demissi iu-
go, et littore paulatim relicto, uallēmq;
ingressi; quam a leua Aetnae radices, a
dextra Taurominitani montes effici-
unt; per eam Randatium usq; perueni-
mus nouum oppidum, et in Aetnae ra-
dicibus, qua parte mediterranea despe-
ctat, situm. iter totum a Taurominio no-
bis quatuor, et uiginti mil. pass. com-
fectum est. uallis sonoro, et p̄petuo flumine
scinditur, et irrigatur. Platani numerosa

fylua utraq; ripas inumbrantes maxi-
mam sibi uallis partem egregiae incolae
uendicarunt. B. P. An tandem, Pla-
tanos illae habent ripae? B. F. Pulcher-
rimas illas quidem, et multissimas; ut non *Secretum*
Platonem modo, aut Aristotelem, scho-
lasq; omnes mitiores suis umbris inuitare
possint ad philosophandum; sed etiam
Gymnosophistas durissimos illos quide
homines, et sole admodum delectatos.
B. P. Quam uellem; ut cum earum dua-
bus possem ego, uel tribus arboribus eti-
am omnes illas fructiferas arbores quas in
quinquuncem dispositas habemus, com-
mutare. B. F. Utinam illae tibi potius
pater iisstantibus totum Pluuicum obdu-
xissent: poterant enim uel uniuersum No-
nianum: sed nescio, an isto sub coelo pro-
uenirent. B. P. Equidem arbitror:
nam illis postea, q̄ in Italiã trauectae sunt
et quidem ab ipsa Sicilia primum, multae
urbes abundauere; quanq̄ posteriorum

hominum negligentia deperierint: nos
enim; dum Romae essemus; unam, quae
in ima ripa speculi est Dianae Aricinae,
pro miraculo uidimus. Sed nihil est pro-
fecto (mihi crede), nihil est fili (ut ego
semper dicere soleo); quod effici ab ho-
mine cura, diligentiaq; non possit: nos
enim (ut de me ipso loquar); quibus ta-
men; ex quo hanc uillam exaedificaui-
mus, iam inde ante, q̄ tu es natus, consu-
mere hic nondum etiam licuit triginta in-
tegras dies; neq; quando licebit scio, cu-
piam certe semper, et peroptabo; uides
q̄ multo tibi posuerim⁹ ordines pulcher-
rimarum arborum uel nostratum, uel
aduenarum: q̄ si etiam Platanos habuis-
sem; nunq̄ illae me uiuo periissent; et ha-
beres tu quidem nunc, quo melius inuita-
re posses Faunum tuum; et ille, quo li-
bentius accedere. B. F. Vellem equi-
dem mi pater: sed (quando id effici nō po-
test) oblecta te populis tuis: tum etiam (si

placet); sicuti matres filiorum nomina,
qui desiderantur, in eos saepe transfe-
runt, quos habent; ita et nos Platanos il-
las uocemus. B. P. Mihi uero
placet illas populos semper uocari: atq;
haud scio, an etiam cum eas tempestas ue-
tustasue consumpserit (ut ait ille de quer-
cu Mariana), tamen erit in Noniano po-
pulus, quam Bembeam populum uocet:
ita mihi quidem uidetur illas aeternitati
comendasse suis carminibus Aurelius no-
ster.

Quare;

Quae uitreas populus arduo
Bembeas ad aquas uertice tollitur
Viuum cespitem obumbrans,
Intonsa bicolor coma
sit semper populus: crescat; surgat altius
uel aquila ista, uel poetae uersu: sed (ut ad
Platanos redeam) non tam mea causa istud
ipsum cupiebam filii, quam tua: ego enim me ob-
lectaui satis; tum experiendo illud didici,
ut nequid admirarer: neq; si quid sero

aliquando, quod facio semper, cum li-
cet; siue aedifico aliquid, aut paro; pro-
pterea id facio, uel quia illis omnibus re-
bus putem me esse usurum, cui me ipso
uti iam meo ipsius iure non licet; uel
quia non facile illa possem contemnere,
quibus carerem: quid enim mihi potest
iam ad eos dies, qui mihi reliqui sunt ad
uiuendum, esse non satis: uobis ista pa-
rantur pueri; uobis ista (inquam) non mihi:
scio enim quam a parentibus quaesita ista dul-
cius accipere soleant filii, quam ipsi facile com-
parare; siue quod in quaerendis rebus plerique
laborem fugimus, in partis omnes uo-
luptatem amamus; siue quod in iis, quae
nobis a maioribus nostris relinquuntur,
insit etiam memoria illorum, qui tradi-
dere; quae illa nobis nescio quo pacto,
cum sanctiora efficiat, tum certe facit mul-
to etiam iocundiora. B. F. Mihi quidem
pater et nunc ista carissima sunt, quae, qua-
es in nos amoris exuberantia, a te uideo dici

et erunt semper, dum uiuam, fixa animo et memoriae meae; cupioq; ut ex his ipsis rebus, quae mihi a te, quaeq; fratri comparantur meo, longissimam ipse nobiscum percipias uoluptatem: sed si tibi nos unq̄ naturae lege superuiuemus; habeo alia ego (ut de me tantum loquar: nam de fratre quanq̄ multa posset dici, malo illi integram causam relinquere respondendi tibi), habeo alia (inq̄), quae mihi sanctissimam tui memoriam semper efficient etiam absq; Noniano tuo; quippe, qui me puerum educaueris non diligenter modo; sed planè (quod uere mihi uideo esse dicturus) etiam religiose; habueris tecum in legationibus tuis; imbueris optimis moribus; omnibusq; bonis artibus (quod in te esset) ita semper institueris; ut uerear, ne sim prorsus ingratus, ultra haec mihi a te si quid unq̄ relictū optauero; tum si de his ipsis tibi non ego semper maiores

gratias habuero, q̄ si mihi magnificas uillas construxisses. Quare ista quidem de causa nihil est sanè, quod labores

B.

P.

Ego uero ac multum: nam, qui tibi illa praeparauerim; quae sunt longe potiora meo quidem iudicio; et (ut uideo) etiam tuo; curandum est etiam mihi, ista tibi ut ne desint; quae, cum minora quidem sint, ualde tamen sunt necessaria: quemadmodum si te quis ad coenam uocet; ferculaq; afferat cum uaria, tum sumptuosa; uina multifariam apponat; ministros adhibeat; calices quaerat, et uasa uel aurea, uel gemmata; nisi statuerit triclinium, aut mensas in hortulo disposuerit, ut tibi stanti coenandum sit; certe tu illū nihilo probes magis, q̄ si tam multa omnino non parauisset: Ita mihi eueniet patri: nam q̄ te recte instituerim a puero; mecum habuerim semper; utraq; linguā te docendum curarim id est ad cœ-

nam uocasse te satis dubiam, et sumptuo-
sam; in qua depasceres animum tuum,
tēq; ipsum conuiuia elegans oblectares:
conuiuiae nanq; sumus omnes, dum ui-
uimus; neq; aliud est omnis uita nostra;
qua sub ista mundi luce fruimur, q̄ longa
concoenatio, aut (ut iam uerius dicam)
conuictio: q̄ si nec sedem ullam tibi,
nec umbram aliquam praebuero coenan-
ti; hoc est nisi uiuenti diuersorium, se-
cessumq; gratum aliquem parauero stu-
diis, et camenis tuis; profecto non tam
in illis laudabis diligentiam meam, q̄ in
his etiam culpabis negligentiam: neq;
tam pulchra ea tibi esse uidebuntur, qui-
bus habundaueris; q̄ fuisse illa, quibus
carebis, necessaria. ita fiet; ut cum semel
abiero; tu me saepius accuses, q̄ probes.

B. F. O mi pater; mēne
tam impium unq̄ futurum, ut te audeam
accusare? ego te unq̄ accusem pater? quid
si non tu me saepe monuisses, et ego ali-

quando scriptum legissem a summis ac
sapientissimis uiris, animi bona esse, quae
beatos homines facerent sola ipsa per sese,
quaeq; opis externae non egerent: ea neq;
eripi posse cuiq;, nec aetate senescere, nec
morte interire: caetera omnia manca es-
se, labilia, momentanea: quae quoniam
fortuna, et casu regerentur; tanto esse
magis quenq;, quantum illa contemne-
ret, uel diuitem, uel etiam sapientem:
animos nostros ex aetherea sede in hanc
corporis labem profectos ea lege, ut ad
illam ipsam purgati aliquando reuer-
terentur, quae hic essent, despicerent; ad
illa se intendere, quo properarent: me
uero, quem ista quandoq; docuisses; ni-
si mihi uillam reliqueris, sylvamq; pla-
tanorum; putas tibi esse succensurum:
non est ita mi pater: ne putes. B. P.
Non puto. B. F. Neq; me tam demen-
tem existimes uelim. B. P. Nō existimo.
B. F. Quid ita igitur loquebare? B. P.

Quia noueram mores hominum; tum etiam pertentare te prorsus uolui, quã recte ista sentires. Sed omittamus haec iam tandem filii; atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, reuertamur.

B. F. Immo uero pater nec reuertamur: quid enim amplius nobiscum planis illis? de iis enim loquebamur.

Sed (si placet) ad Aetnam potius, de qua sermo haberi coeptus est, properemus.

B. P. Mihi uero per placet; ita tamen, ut ne festines: tibi enim ego omnes has pomeridianas horas dico.

Sed quoniam me impellente nimium iam extra Aetnae terminos prouecti sumus, non committam, ut te interpellem saepius; nisi quid erit, quod de ea ipsa te rogem.

B. F. Sanè mons ipse situ, forma, magnitudine, feritate, incendiis mirus; demum tota sui qualitate ac specie longe conspicuus, et sibi uni par est. Ab aurora mare Ionium bibit; et Ca-

tanam sustinet imo in pede: cum sole descendit in insulam, qua Tyrrenum pelagus est; et quae Aeoliae appellantur: lateroribus, in septentriones uergenti Pelorus obiicitur, et Italiae angustiae sunt: contra reliqua insula subiacet, tractusque ii omnes, qui cum Lilyboeo in Africam protenduntur. Ipsa Aetna radices suas ferè in orbem deducit; nisi sicubi orientem, et meridiem uersus promisso cliuo paulisper extenditur: celebs degit; et nullius montis dignata coniugium caste intra suos terminos continetur. circumitur non minus, quã .c. mil. pass. ascenditur ferè per uiginti, qua breuior uia. Imi colles, ac omnis radicum ambitus per oppida, et per uicos frequens inhabitatur; Baccho, Pallade, Cerere feraces terrae; armentorum omnis generis supra, quã credas, feracissima. Hic amoenissima loca circumquaque; hic fluiui personantes: hic obstrepentes riui:

hic gelidissimae fontium perennitates:
hic prata in floribus semper, et omni uer-
na die; ut facile quilibet puellam Pro-
serpinam hinc fuisse raptam putet: hic
arborum multiugae species et ad um-
bram ualentium, et ad foecunditatem;
in qua etiam tantum excellunt caeteras
omnes arbores; ut mihi quidem magis
huic loco conuenire uideantur ea, quae
de Alcinoi hortis finxit Homerus, quae ipsi
Phaeaciae; in qua certe nos, cum e Sici-
lia rediremus, nihil eiusmodi uidi-
mus, quod nos tantopere oblectaret; ut
etiam non inurbane Angelus meus in-
terroganti cum cuidam ex Phaeacibus,
qui nobis urbem omnem ostentarant,
quid nam illi uideretur, ita responderit.
Ego Phaeaces debere uos quidem, inquit,
Homero permultum existimo; qui uo-
bis plura etiam tribuit, quam ipsa natura.
referam (si potero) latine; uel certe ut
potero: nam aduersti propterea tum eti-

tiam diligentius illum ipsum Homeri
locum.

Hic nemora in coelum late crescentia
furgunt,

Punicei pomum grani; malumque; pi-
rumque;

Et dulces ficus, et magnae Palladis ar-
bor.

Non illis borealis hyems, non officit
aestas

Torrida; sed placidas zephyris spiranti-
bus auras

Arboribus totum superat foetura per an-
num:

Et pomo insenuere recentia poma
priori;

Et noua iam miti superaduenit uua ra-
cemo.

Medius mons nunc uariis arboribus late
syluescit, et praecipue pinis, et fagis maxi-
mam in magnitudinem, multitudinemque
crescentibus; quarum illae inferius, haec subli-

miores sunt: nunc nudo latere arabiles in
plagas extenditur; et saepe usque ad imum de-
scendit, frumentis adeo foecundus; ut cre-
dita nonnunquam in centuplam segetem cul-
toribus ferat. itaque prudenter, ut multa, il-
lud etiam prisci uiri; quod nobilissimum tem-
plum Cereris in Aetna constituere: ubi enim
potius dea segetum coleretur; quam ubi fru-
ges optime prouenirent: atque id quidem
tantum de segetibus: uerum ab uniuersa
Aetnae fertilitate (ut opinor) fabula etiam
emanauit, Aristeum giganteo in monte
ita saluum esse, atque uiuere; ut neque ab Ae-
tna prematur unquam, neque flammis coelesti-
bus inuratur; quod optimi, et uberrimi essent
fructus, qui per Aetnae loca nascerentur,
nullo telluris uitio, nulla aeris offensa ma-
lignitate: nam et Aristeos graeci quidem illos
uocabant, qui uicissent in certaminibus;
quod uerbum ab optimo deductum esse credo,
quia nisi optimi non uincerent: et gigantes
scimus esse filios telluris appellatos: ita.

quoniam fructus uniuersos tellus, quasi
mater, parit; cum fructus Aetnaeos esse
optimos, atque uberrimos uellet dicere; tamquam
caeteros superarent; fabulae datus est lo-
cus, non inuenuste quidem; si tibi ita ui-
detur: expecto enim etiam quid tu sentias
scire abste. B. P. Mihi sane uidetur:
itaque redde caetera. B. F. Reddam pa-
ter; atque illa ipsa quidem, quae a princi-
pio postularas, et quorum causa ista om-
nia dicta sunt: uentum est enim ad id;
ut iam de ignibus loqueremur. B. P.
Verebar sane tu ne me longius prouecta-
res: quamquam quid longum mihi esse hac
in re, qua de nunc agimus, atque isto in otio
potest? B. F. Curabo id quidem, ne
fiat (si potero), quam potero, diligenter.
B. P. Immo Hercle fiat potius; etiam
id si facere ipse, ne fiat, potes: non
enim impedio: illud autem ideo dixi-
ram; quia te putabam ante, quam istuc acces-
sisses, aliquandiu erraturum. B. F.

Ego uero existimabam pater errauisse me
sic etiam nimis diu. B. P. Non est
ita: sed, ne nunc tandem erremus; perge
de ignibus, ut proposuisti: uerum autem,
quid tu haeres? B. F. Per-
gam equidem, ut iubes: sed scin, quam
in salebram inciderim? B. P.
Nihil profecto minus. B. F.
Dum tibi ad ignes festino, eam Aetnae
partem; quae nobis una restabat de tri-
bus (sic enim partiri soleo); et qua sine
ad ignes ipsos perueniri non potest; pe-
nè omiseram suboblitus: ita Aetnam,
quasi Chimaeram, caecideramus; et
tanquam ream, capite mulctaueramus
imprudentes: sed agam nunc tutius; ac
de utroque simul loquar. Superior itaque
montis pars (nam iam de iis, quae in-
fra sunt, diximus) usque ad summum ca-
cumen nuda uariam faciem praecosten-
dit: nam alibi semiherbosi tractus sunt
interfurgentibus tophis, qui etiam in

pedemontana regione passim uisuntur:
alibi per summa ora exundans incen-
dium saxis fluentibus totas plagas in-
occupauit; alibi arenarum campi ma-
gnam in longitudinem, et latitudi-
nem extenduntur. In supremo cra-
tères duo sunt, quorum alterum, qui
minus altissimus est, ipsi uidimus in pu-
tei rotunditatem angustum, emissis ue-
luti gemina sponda hinc inde saxis sul-
fureo uirore fumigantibus: hunc lapi-
dea planities ambitu angusto circūten-
net; quo ut primum in scendimus,
sulfureis statim nebulis, et suburenti fu-
mo, ueluti e fornace, percussi ora penè
retulimus gradum: mox increscen-
te audacia, qua uentus perflabat, pau-
latim ingressi craterem ipsum tetigimus
manu. Effundebatur inde, sicuti ex
camino, fumus non intermissa exhala-
tione: istamen etiam scissa per longa in-

partim tardantibus arenis; et diuus statim etiam quoquouersus impendebat. is uniuersi corporis uertex summus est; et tanquam in urbem arx domina, sic ille in montem prominatur. ab eius insensu detinuere nos potentissima uis uentorum, et exhalantes fumi: itaque tibi de illo referre quidem aliud nihil possum; nisi tibi ea uis recenseri, quae ab Urbano monacho accepimus postea, Messanae cum esset, homo ille quidem uerissimus, atque harum rerum cupientissimus sciscitator: is enim paucos ante nos dies per summam tranquillitatem totum uerticem perlustrat. B. P. Immo uero cupio: noui enim ego illum, atque amo, quod te non latet; quo mihi futura sunt haec omnia illius etiam testimonio gratiora. B. F. Aiebat ille igitur (quando ea tibi narrari postulas; quibus tamen ego tam accedo ut credam, quam omnino si perspexis-

sem.) uerticem illum esse ab ingenti cratere occupatum ambitu circiter quatuor stadiorum; eumque non usque in imum descendere eodem hiatu; sed aluum sibi intus paulatim astringere caetenus, quoad in medio centro ad eum munda montis incrementa satis amplo ore foraminatur: tum esse in summa montis corona paruam tramitem, ubi pedes firmentur; ex eo si quis declinauerit, aut in cratere obrui, aut e monte deturbari: stetit tamen se ibi tam diu, quo barathrum exploraret: eructasse tum montem magno strepore incendia caliginosa, et perurentes petras supra os, quantum sagitta quis mitteret, uel eò amplius, insurgentes: atque eum, ueluti corpus uiuens, non perflasse semper; sed emissa semel anima cessasse diutule, dum respiraret: tum se copiam intuendi habuisse, quae uellet: mox eiecisse iterum, atque iterum pari interuallo usquequaque:

interea ingemere intus cauernas auditas;
intremere etiam tonitruis montem sub
pedibus magno; et formidoloso iis, qui
aderant, horrore: ex quo illud mirum
uidetur; quod qui tum strepitus per tran-
quillitatem sentiebantur, eorum a no-
bis nihil auditum sit in tanta ferocia uen-
torum. B. P. Illud uero
nec uideatur falsum, neque planè ipsum est
mirum: constat enim (quemadmodum
scriptores tradidere) simul cum uentis
Aetnae animam immutari: et quo flau-
te fumos tantum, et caligines exhalet;
eo ponente modo puras, modo cras-
siores flammam emittere pro surgenti-
um uentorum qualitate: aliquando eti-
am effundi torrentes ignium uaria ex-
undatione pro, ut intra montis uisce-
ra pingua, uel exilia incrementa sunt:
quae cum ita se habeant, illud etiam pos-
se fieri quis est, qui neget, lenissima uni-
us uenti aura eos strepitus intra mon-

tem excitari, qui uel furente altero non
queant: non enim quod perflet quis; sed quod in-
tret in montem, quamque se in cauernas illi-
us, inque uiscera insinuet, est spectandum.

B. F. Intra montem igitur tu,
tanquam intra pectus animam, sic accipi ab
Aetna uentos putas; quibus illa modo
spirat leniter, modo uehementius inci-
tatur? B. P. Sanè quidem:

nisi tamen ueriora illa sunt, quae de
Typhóeo, deque Encelado poetarum fa-
bulositas concinnauit. B. F. Verif-
sima illa quidem fabella est: sed pergetu
mihi; atque etiam pater huius incendii cau-
sas redde, si placet: nam ex incolis qui-
dem inuentus est nemo; qui ea nobis pau-
lo uerius explicaret. B. P. Per-
gam, ut libet: sed non prius id faciam;
quod mihi dixeris quomodo illud sit, quod
tu uerissimam fabellam dixisti.

B. F. Quia sanè ea demum
uerissime fabula est; quae nihil habet

ueritatis. B. P. Pulchre ni-
rum: atq; isto modo ego etiam dicere hi-
storiam falsissimam possunt; ut ea sit de-
mum falsissime historia, quae falsi ha-
beat nihil. B. F. Non sequi-
tur istud pater: sed nos dialecticen e ca-
ptiosis sophistarū circulis, coronisq; ne
auocemus: satis enim habet illic negoti.
Quare age mi pater; explana potius
illa nobis, quae petimus; ea incendia
unde oriantur; et orta quomodo perdu-
rent. B. P. Tu uero postulas eti-
am sine dialecticis philosophari: quod
quidem ipsum fieri q̄ possit, uel alio tem-
pore ex te ipso cognosces; uel cum uo-
les, audies de me: nunc uero age, philo-
sophemur: interea tamen paulisper hoc
in cespite confidamus: neq; enim ullis ad-
huc Nonianis legibus cautum est, ne quis
temere quo quo in cespite confidat: quem
admodum olim urbanis, nequoquo
in folio: et ego iam deambulando defes-

sus sum. B. F. Tu uero quiesce,
ut libet, et q̄ diu libet: ego autem et sta-
re adhuc possum libentius; et te ita me-
lius auscultabo. B. P. Et quidem
hoc etiam licet: sed quoniam ita uis; ut,
quibus de ignibus ego te antea interro-
garam, de iis tu me nunc audias differen-
tem; breui expediam, quae sentio: neq;
enim nimis multa sunt. Tellus qui-
dem omnis Bēnbe fili, sicuti nostra cor-
pora, foraminibus, canalibusq; distincta
est, et tanq̄ uenis iter notata; siue q̄ omni-
no coire non potest quae specie qui-
dem multum sibi met differat intra se se;
siue q̄ aut gignit ipsa semper aliquid, aut
interimit, et immutat; neq; unum idem
omnis, atq; eodem p̄manet; siue (ut alii
tradidere, et quidem principes in philoso-
phia uiri) quia planē uiuit ipsa; atq; a mū-
di anima uitam trahens ab eadem mundi
anima extra, intraq; plustrat. Sed in omni
tellure nusquam maiores fistulae, aut mea-

tus ampliores sunt; quã iis in locis, quae
uel mari uicina sunt, uel a mari prote-
nus alluuntur: nam cum exedit se per ma-
re, consumitque suo pte contactu, suaque na-
tura omnia; tum autem, si partem est na-
ctum aliquam debiliorem, membraque
non adeo robusta telluris; erodit illa mul-
to facillime; pergitque in uiscera ipsa, quã
potest: itaque cum in aliena regna sibi uiam
faciat; uentis etiam facit: ex quo fit; ut
loca quaeque maritima maxime terraemo-
tibus subiecta sint, parum mediterra-
nea. quod si etiam in sulfuris uenas uenti furen-
tes inciderint; tum incendia suscitantur
sanè non difficulter; quoniam et in
sulfure concipiendi permagna ignis us in-
est, et uenti etiam aliena succendunt
ui sua: haec autem tu ut in Aetna ac-
cidant omnia, uide, quippe (ut modo tu-
te dixisti), quae mare in radicibus habeat,
quae sulfurea sit, quae cauernosa; seu
quod natura ita fuerit semper ipsa; seu quod

falo aliquando subexesa uentos admi-
serit aestuantes, per quos idonea flam-
mae materies incenderetur. Habes,
unde incendia oriantur Aetnae tuae:
habe nunc quomodo etiam orta per-
durent: in quo quidem nolo ego te il-
lud admirari, quod uulgus solet: magnũ
esse scilicet tantas flammam, tam immen-
sos ignes post hominum memoriam sem-
per habuisse, quo aleretur: quid est enim
magnum ipsi magistrae rerum omniũ,
et parenti naturae? quid arduum; quid
illa tandem non potest? qui stellas; qui
solem; qui coeli conuexa; qui terras o-
mnes, ac maria; qui mundum denique ip-
sum, quo nihil est admirabilius, uel po-
tius extra quem nihil est, quod admire-
ris; saepe sine admiratione intuemur;
uisdem nobis esse Aetna miraculum po-
test: caue sistam imprudens filii; ut tu id
putes: nam si naturam respicimus; nihil
in Aetna est, quod mirum uoces: si rem

conſyderamus ipſam ; nōne tibi etiam
mira uideantur cum alia loca permulta,
tum uel Aponi noſtri fontes, calidacq; il
lae puriſſimae; quibus natura non tan
tum ut calefacerent dedit, quod erat ta
men ab aquis alienum ; ſed multum de
iure quoq; rerum omnium cōceſſit, mul
tum de noſtro, tum aliquid de deorū
etiam, et ſuo ; ut morbis ſcilicet mede
rentur non modo ſine ullo aegri dolo
re, qua de cauſa graeco uerbo Aponus
nomen inuenit ; ſed etiam cum uolupta
te ? itaq;, qui curantur,

Non uenas referant (ut ait ille); nec uul
nere uulnera ſanant ;

Pocula nec trifti gramine miſta bi
bunt :

Amiſſum lymphis reparant impune ui
gorem ;

Pacaturq; aegro luxuriante dolor :

Nam morbos quidem expellere homi
num planè eſt rerum uſum multarum

recte callentium : hoc autem uel ſine
dolore id efficere ; uel (quod multo eſt
maximum) etiam cum uoluptate deo
rum mihi quidem uidetur eſſe propri
um, ipſiusq; principis omnium, et pa
rentis naturae . ¶ ſi cum uno Aponi
fonticulo, et canali profunda illa compa
raueris, inundationeſq; omnes Aetnae
tuae ; fortaſſe non uerear, ne noſter hic
colliculus tuo illo monte ſit minor. Sed
faciam, ut tibi pollicitus ſum ; et Aetnae
incēdia quomodo alatur, docebo. Quo
niam igitur (ut ſcis) humore, et calore o
mnia concipiuntur ; cum et ſemper ardeat
mons, et ſemper a mari perluftratur ; ha
bes iam duobus iſtis uerbis, quod petis :
ignis enim ; qui detrahit ſemper aliquid,
atq; conſumit ; gignit etiam ſemper ali
quid ſibi, quod conſumat, ſuo ipſius calo
re humectantibus undiſtellurē, ſemperq;
igni materiam ſufficientibus, quo alatur :
nam et bitumen maxime, quod ſulfuri

simillimum est, fit ex terra et limo exu-
dante tellure; tum et eiusdem ferè ge-
neris halumen; quod quia ex salo et ter-
ra conficitur, ita uocatur. B. F.
Vnde autem saxa, et pumices pater,
et eiectiona illa, quae uomit? quid
illa tandem sunt? an sulfur tantum,
bitumen, halumen omnia? B. P.
Nequaquam filii: sed tanta est uis ignium,
praesertim inclusorum, et uentis in-
tus furentibus; ut non uiscera imbe-
cilla modo; sed planè nerui etiam for-
tiores corripiantur telluris; et saxa ipsa
durissima liquefiant. B. F. At
ea ipsa saxa non aliquando defecisse, mó-
tèmq; sibi non subsedisse, nonne illud
est mirum patet? B. P. Neq;
id filii quidem mirum: tellus enim sem-
per foecunda est sui ipsius; semperq; se
met ipsa parturit: nisi tamen malistu-
cum Pythagora sentire; qui quidem
apud Ouidium ita praecipiens inducitur

ut audeat affirmare Aetnaea incendia non
esse usquequaq; duratura. B. F. Ego
uero, quid sentiam; non fat scio: quanquam
equidem malle Pythagoram, quam Em-
pedoclem imitari: ille enim quae natu-
rae consentanea uidebantur, credebat asse-
rens mutari quidem omnia, nihil tamen
omnino interire: hic; dum curiosius na-
turae causas perscrutatur; etiam se ipsum
imperscrutabilem facit. B. P.
Sed ualere nos illos sinamus filii: et quo-
niam nos tibi, Aetnae incendia unde-
fiant, diximus; id uelim ego scire item
ex te, ipsa ista quomodo fluant.
B. F. Iam istud quidem fie-
ri sine ullo negotio potest uel una Hesio-
di comparatione; qua ille in sua theo-
gonia fluxisse ait tellurem, ubi eam
post fulminatam Typhocum igne cor-
reptam describit, isto (ni fallor) modo:
ex quo sanè libet mihi suspicari etiam pa-
storem illum Aesraeum aliquando Ae-

nam conscendisse; atq; inde sibi sumpsis-
se; quod de uniuerfa tellure scriptū reliquit:
Vritur ipsa ingens tellus; aestuq; fu-
rente

Liquitur, albentis quondam ceu lami-
na plumbi

Arte uirum, flammisq; caua fornace li-
quescit:

Seu ferrum (quanq̄ hoc maternae uisce-
ra rupis

In duras aluere uires); cum ferbuit
olim

Vulcani domitum manibus, terraéq; fa-
tiscit.

Et quidem propterea illum ego plumbi,
et ferri exempla posuisse crediderim; ut al-
teri ea cōpararet, quae igne facilius corri-
piuntur, et fluūt; ut sulfurea tellus omnis,
et eae telluris partes, quae tenuiores sunt;
alteri autem cum saxa omnia, tum ea,
quae flammae resistunt magis, et sunt
suapte natura duriora. B. P. Mihi

haec quidem certe non displicent ipsa
per se: atq; etiam delectauit me non ni-
hil poetae ingenium; qui tam apte descri-
pserit fluentem, et ardentem tellurem:
sed tamen tu fili nimium perparce res-
pondes ad illa, quae peto: non modo
enim istud ita simpliciter cupio, ea in-
cendia quomodo fluant, scire ab te: sed
etiam, ubi descenderint, quam faciem
capiant; tum si perdurant eadem sem-
per, an aliquando immutentur, audire.
BEMBUS. FIL. Geram tibi
morem pater; et ea, quae postulas ut po-
tero, explicabo. Pleno iam par-
tu (ut maturior est omnis foetus, qui-
cunq; in Aetnae matris utero coalescit) ni-
si parientis expellitur, et eiectatur, qua-
cunq; prius rimam inuenerit, aut uiam
sibi parauerit ui sua: saepe tamen exit ex
cratere, quem ipsi uidimus; nunq̄ ex su-
periore; q̄ uel eò inscendere grauis ma-
teria non queat; uel, quia inferius alia

spiramenta sunt, non sit opus. Despu-
mant igitur flammis urgentibus ignei ri-
ui pigro fluxu totas delambentes plagas:
ii paulatim recedente calore priorem sibi
naturam reposcentes in lapidem indure-
scunt fragilem sanè flammis eneruanti-
bus, et si complectas, putrem. Stat ea
confluuias, ueluti glacies, concreta usq;
ut alteri descendant riui: ii nanq; non
supràfluunt; sed inter montis arenosam
cutem, et priora concreta fluenta insinu-
antes sese cursum sibi medium quaerūt:
sic, que prius induruerant; quia friabi-
lia sunt (ut dixi); nouis incendiis ceden-
tia crepant, et in partes disiecta prosili-
unt, quacunq; unda deurgens intèrfluit:
deinde cōglaciantem eam altera subiit il-
luuias; atq; ipsa tantundem facit: tum al-
tera item, et altera: non enim continua-
to fluore mons; sed per intermissos spi-
ritus (ut supra commemorauimus) eru-
ctatur: atq; ita nouissimis semper uincen-

tibus, multiplicatōq; in immensum in-
cédio ex igneis fluminibus fracti lapides
altissimo congestu magnam partem mon-
tis inocuparunt: atq; ii, quo recentius
fluxere, eò et nigriores sunt, et firmio-
res: aetate et pallefcunt, et resoluuntur:
inde ego esse arenarum plagas omnis,
quae circa cacumen uisuntur, existimo.
Materies omnis aridissima est; atq; ideo
minus multo, q̄ uiui lapides, pondero-
sa; scabra adeo, ut breui mora, tanq̄ a li-
ma, inscendentibus calcei exedantur.
B. P. Atqui ego sanè in eo mal-
lem Empedoclem imitari; qui ascensu-
rus amyclis aereis utebatur: sed sequere.
B. F. Ea infra paruū craterem
circūuersus totum montem comple-
xa est; et cumulum eum, in quo maior
crater est, sustinet: demittitur inde alicu-
bi per interualla imum in montem ob-
liquis fluxibus; quāq; Catana iacet, usq;
in mare; lata saepe, qua uisus patet; hor-

rendum sanè spectaculum modo alueis
hiantibus, modo impendentibus ripis.
Inter maxima profluvia longe memo-
rabile illud est; quod paulo ante nostrā
aetatem usq; intra Catanam decurrens
non paruum urbis partem incendio de-
populauit: neq; sanè descensus is minus,
q̄ per .cc. stadia conficitur. Quin etiam
portum eum, de quo ait Virgilius
Portus ab accessu uentorum immotus, et
ingens

Ipe; sed horrificis iuxta tonat aetna ruinis,
ita impleuere fluenta Aetnaea; ut iam
errasse Virgilium putes, q̄ portum ibi
esse ingentem dixerit, qui penè nul-
lus fiet. B. P. Istud nimi-
rum est, quoda principio dixeras cedere
illis uolentibus, atq; eorum contrahi ar-
doribus ipsum mare. B. F. Est
ita quidem, ut dicis: sed (ut ad propo-
situm reuertamur) reptare per eas crepidi-
nes, quas dixi, duobus mil. pass. necesse

est quem uis craterem uisuros: reliquum
iter in equis conficitur. reptationis eius
labor haud facile credas, q̄ durus est, q̄q;
indigens uirentis genu; quippe, quia de-
grauante uiatore temere ingesti lapides
concedunt; et in ascensu raptissimo, ni
probe posueris pedem, dimoto uno
tota congeries deuoluitur, et in te ipsum
ruit: adde, q̄ etiam, si in plano cecide-
ris laedunt scabritie sua; et manus cre-
bro contactu, nisi contexeris: offendun-
tur. Magna haec fortasse uidebuntur p̄
ter audiēti tibi: magna enim sunt (ut mihi
quidē uideri solet); uerum nusq̄ adeo, ac
nobis uidentibus fuere: nam Aetna quan-
ta est, nemo quidem scit, qui non uidet.
Ex summo uertice contemplari totam
insulam licet, termini eius longe esse
multo minus uidentur, q̄ sunt.
Brutia ora ita tibi sub oculis iacet; ut
eò posse traicere penè quidem iactu
lapidis putes: serena tempestate Nea-

politani etiam tractus extimantur. Ni-
uibus per hyemem ferè totus mons ca-
net: cacumen neq; per aestatem uiduatur.
B. P. Quid, quod hyemare tantum
cas meminit Strabo? B. F. At experien-
tia ita te docet, usq; ipse auctor (quod qui
dem uenia illius dixerim) non deterior .
Quare illud mi pater etiã, atq; etiam uide;
ne quid te moueat, si aliqua ex parte huius
nostri de Aetna sermonis cum uetustis scri-
ptoribus dissentimus: nihil enim impedit
fuisse tum ea omnia, quae ipsi olim tradi-
dere, quorum permãserint plurima in no-
stram diem; quaedam se immutauerit; ali-
qua etiam surrexerint noua: nam (ut caete-
ra omittam); quod cinerosa partim esse
summa cacumina dictauerit; eius rei nunc
uestigium nullũ apparet: cinis enim, qui
queat conspici, toto mōte nullus est: neq;
id tamen omnibus annis fuit: nam mul-
torum testimonio accepimus, qui ui-
dere, annos ab hinc quadraginta tan-

tos ex Aetna cineres euolasse; ut per to-
tam eam insulae partem, quae uersus Pe-
lorum iacet, uniuersam oleam abstule-
rint; eos etiam in Italiam uentis feren-
tibus latos. Sed (ut ad niues illas redea-
mus) addebat idem Urbanus Kalen-
dis Iuniis ascendente se satis largiter, a-
bundeq; nixisse; tum iterum, qui se-
ptimus fuerit post eum diem, dum
ipse Randatii moraretur, in uniuersam
montanam plagam niues ferè in pedisal-
titudinem descendisse: in quo ipso licet
et Pindarum suspicias scite cognomento
usum; qui Aetnam niuium nutricem ap-
pellarit. Quo latere subest Catana, me-
dia ferè inter ipsam, et cacumen regione
purissimus, et perennis fons erumpit do-
rico uocabulo Crana ab incolis appella-
ta: caeterum toto monte supra radices nul-
lae aquae sunt; nisi quae uel ex niuibus
emanant; cuius quidem rei etiã Theocri-
tum testẽ habemus; in quo dum Galatae

Cyclops enumerat diuitias suas, haec eti-
am interfert,

Est glacialis aquae riuus mihi, quem syl-
uosa

Nectareum in potum niuibus fluit Ae-
tna solutis;

aut si quae intra fagorum truncos plu-
uiis descendentibus relinquuntur. At-
qui res, et locus me monuerunt ut quod
ibi uidimus pulcherrimum natura opus
et mirati fuimus maxime, non prae-
terirem. Altissima in specula; qua syl-
ua deficiente liberior prospectus in insu-
lam, et Tyrthena fluuenta dominatur;
herbidus campus leni decumbit cliuo:
hunc pini procerae pari distantes inter-
uallo ducta corona circumsipiunt: in me-
dio fagus densissima quadrifido robore
se subiiciens, celsior quam caeterae, ueluti regi-
na ipsa consurgit: ea non statim ex imo
discriminatur; sed a tellure per spatium
cubitalem uno trunco contenta est: inde

se in ramos cōsimiles aequalibus interual-
lis dispartitur: interne usque ad imas radices
arbor deficiens undis pluuiialibus urnam
ex sese facit: illae montano purgante aere,
ac umbris solem arcentibus et fontanis ge-
lidiores sunt, et putealibus puriores.

Ambigeres ibitu quidem pater si quid
eorum tibi laudandum esset; quid nam
potissimum laudares, an prospectum eius
loci, an locum; tum an arborem, an un-
das: ita scite in alteris decoradis (quasi qui-
dem id agerent; ut quid magis pulchrum
esset, ambigeretur) et Hamadryas, et Nais
conuenere: in honestandis uero alteris ad-
mirabile quidem est, quantum gratiae,
uenustatisque sibi inuicem afferant Iupiter
Genio, et genius Ioui: quo fit; ut in utrisque
multum Venusetiam permista sentiatur.

B. P. O pulchras naturae deli-
cias, uel etiam Deorum (ut poctis placet);
si qui sunt, qui eum montem colant.

B. F. Sunt pater (ut aiunt);

atq; incolunt illo ipso quidem in loco.
B. P. Mirabar; si haec temere
dicerentur prouenire, praesertim a Si-
culis; quos quidem constat propter ser-
monis impunitatem, et licentiam etiam
trilingues uocatos: sed quis inhabitat De-
us? B. F. Fauni esse fontem illum
dicunt. B. P. Fabellam te uideo
inchoare: sed quoniam in Faunum inci-
dimus, sequere: detineri enim me ab
illo facile patior; cum quo te scio liben-
ter etiam carminibus ludere interdum
solere. istud autem qui sciunt? an ita for-
tasse coniectantur? B. F. Videre se
aiunt pastores ipsum Deum passim erran-
tem per syluas, et pascua; tum etiam seden-
tem sub illis arboribus coronatum pinu,
et tacentem saepius; interdum tamen etiã
fistula solantem amores. Sed continebo
potius me hic pater leuia enim ista sunt; et
mihi loqui tecum, nisi reuerenter, non
licet: quanq̃ quidem; si pergerem; face-

remus ipsi hac in re; quod facere etiam
reges in coenis solent: qui quidem in-
ter apros, et pauones; quibus habun-
dant quotidie; interdum tamen et alli-
um poscunt, et betas. Neq; sanè animus
noster uacare semper rebus seuerioribus
potest: neq; si uacet; tamen ex illis tam
plenam capit iocunditatem; q̃ si ea ip-
sa remitteret interdum, et mox non
longo interuallo intermissa reuocaret.
Ita nos quidem nunc grauia illa phi-
losophiae studia; quibus quidem cer-
te id omne tempus soles, quod tibi per
rempubli. licet impertire; melius eti-
am fabellis istis leuioribus condiremus:
et quidem licet maxime uel in Nonia-
no fabulari. B. P. Sanè
quidem licet; dum illud tamen, sem-
per teneatur; ut cerato remige Sirenas,
quod aiunt. Et profecto poeta ille
sapientissimus nunq̃ Vlissi concessisset,
quem prudentissimum semper facit;

ut Sirenarum cantus audiret ; nisi li-
ceret etiam grauibus , et sapientibus ui-
ris ; quorum tamen in numero me non
pono ; minus seriis adesse interdum re-
bus , et lusus captare non adeo seue-
ros ; modo ne remiges audiant ; hoc
est , ne sensus pateant uoluptatibus ; qui-
bus et demulcentur ipsi semper ; et , ni-
si ratione occlusi sint , saepe etiam fa-
cillime capiuntur : quod tibi esse faci-
undum in uita maxime semper cen-
seo Bémbe fili : nam nisi te ita infor-
maris , ut uoluptatum illecebris animū
imperuium geras ; non possum dice-
re , q̄ multae tibi occurrent species ea-
rum ; quae te non adolescentem mo-
do (ut es nunc) demulcere possint , et
delinire , ac iam etiam debellare , et de-
uincere ; sed planè etiam uirum . Itaq̄
illis aut magnanimiter imperandum est ;
quod fecerunt uiri omnes magni , et bo-
ni , et ii , quos propterea deos etiam ap-

pellauere ; uel omnino turpiter deserui-
endum , in quo quidem tu (si me audi-
es) non committes ; ut reiecta continen-
tia , atq̄ ipso amore uirtutis ex illorum
sis grege , de quibus praeclare Oratius ,

Nos numerus sumus , et fruges consu-
mere nati ,

Sponsi Penelopes , nebulones , Anti-
noiq̄

In cute curanda plus aequo operata iu-
uentus ;

Quis pulchrum fuit in medios dormi-
re dies , et

Ad strepitum citharae cessantum ducere
curam .

Sed quoniam iam aduersperascit , pro-
cedamus in atrium : nugae autem pa-
storales istae tuae sub umbris sunt po-
tius , et inter arbores ; q̄ intra penates
recensendae . Quae cum dixif-
set , et iam in atrium peruenissemus ,

ego finem loquendi feci; ille cogitabun-
dus in bibliothecam perrexit .

IMPRESSVM VENETIIS IN
AEDIBVS ALDI RO-
MANI MENSE FE-
BRVARIO AN-
NO .M.

.VD-

ANNO MVD

id est: MCDXCV.

1495.

